



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium


Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Pergenium vel Bergense, Berg/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

6. *Joannus de Aquisgrano.*
7. *Bertholdus.*
8. *Bernhardus.*
9. *Hermannus Monetarius* de Uberlinga, civitate ad lacum Acronium sita.
10. *Walterus.*
11. *Joannes Wigkerus.*
12. *Henricus de Schwandorff.*
13. *Bertholdus de Uberlingen.*
14. *Conradus Mackhenburnius*, Steinensis.
15. *Fridericus à Morsenburg*, oppido ad lacum Acronium sito, eligitur anno 1417. Præfuit 14. annis & obiit.
16. *Nicolaus Heeld* de Mersenburg eligitur anno 1431. Præfuit 52. annis.
17. *Nicolaus Christinerus*, Oeningensis, eligitur anno Domini 1483. Præfuit annis 33.
18. *Conradus Rup*, patria Constantiensis, eligitur an. 1516. Post hujus mortem anno 1530. incorporatur totum cœnobium Episcopatu Constantiensi ab Antistite Joanne à Weza, Sicambro, Archiepiscopo Lundeni & Episcopo Rotschildensi.



BERGENIUM vel Bergense, Berg/ S. Crucis cœnobium monialium Benedictinæ professionis in Eistetenensi Episcopatu, & præfectura Heersbrugk dimidio milliari à Neuburgo Danubiano, ac duobus milliariibus ab Aichtadio situm, amplissimum cœnobium, fundatum legitur anno Domini 976. imperante Othone II. ejusque conjuge D. Theophania, ab illustrissima Principe ac Domina, Domina Willtrude, Bertholdi ultimi Bavarorum Ducis honestissima conjuge, quæ ob insignem virtutem ac vitæ integritatem cognomen *Pie* habere meruit. Occasio construendi monasterii hæc fuit. Gubernabant Bavariam temporibus Imperatoris Henrici Aucupis duo Principes præpotentes, germani fratres, Arnoldus & Bertholdus, ultimi Bavarorum Duces ex posteritate

*Bavaria
Duces
tempore
Caroli*



Henrici Aucupis. Caroli Magni, quorum senior Arnoldus aliquoties seditiosus in Henricum Aucupem, tandem victus ab eo apud inferiores Pannonones tantisper exulavit, donec Othoni reconciliaretur, cuius consensu in Bavariam tandem rediit. Ubi cum admodum grassaretur in bona ecclesiastica, dicitur anno 937. miserrimo fato sublatus horribiliter periisse, reliquisse vero filium Eberhardum, concordibus omnium Principum suffragiis exheredatum. Successit huic Arnoldo, fratri suo, Bertholdus Dux ille, qui Dominam Willetrudin, nobilissimam feminam, Giselberti Belgarum & Lotharingorum Ducis & Gerbirga Imperatoris Othonis Magni germana sorore filiam, uxorem habuit. Is Bertholdus, cum Ducatu Bavarico præfuisset 12. annis, sine heredibus obiit anno Domini 949. Bona ejus ex Principum sententia in regium fiscum deducta sunt. Ducatum Bavaricum dono dedit Imperator Otho Magnus Henrico fratri suo. Domina Wiltrudis vero vidua mansit, quæ dotales adhuc provincias tenebat & ipsis imperabat, Sultzgoviam videlicet, Nordgoviam, Schwanfildum & prædia circa Heersburgum sita. Hæc anno viduitatis suæ 26. Christi vero anno 976. cogitans, solam se esse & non habere prolem, omnia sua Deo dicare & se quoque jam senio penè confectam religioni totam dedere decrevit. Monialium itaque piarumque sororum, Deo sese & æternæ virginitati dicantium, congregatione collecta, cœnobium Bergense in honorem Christi, filii Dei, ejusque Sanctæ Genitricis, Sancti item Joannis, & S. Crucis construxit, idque contentiente Othone II. ejusque conjuge Dña Theophania, omni suo territorio & suis prædiis dotalibus liberalissime dotavit, sub undecimo Aureatenfis Ecclesiæ Episcopo Reginoldo, viro doctissimo. Ejus vero prima etiam Abbatisa & gubernatrix ipsa facta confirmationem suæ foundationis & privilegia ab Othone II. Imperatore & à summo Pontifice Joanne XV. obtinuit & impetravit. Habet hoc cœnobium privilegia & diplomata non solum ab Imperatoribus Othonibus duobus postremis, sed etiam ab Imperatore Henrico Claudio, qui dono dedit monasterio pagum Tolenstein cum adjacentiis: ab Imperatore item Conrado Franco & ejus uxore Domina Gisela, quæ dedit Ursingum pagum cum adjacentibus.

Wiltrudis Bavarie Ducis Bertholdi vidua, cœnobium Bergense erexit.

jacentiis. Templum ipsum coenobii, è vivo lapide constructum, singularem præ se fert & augustam antiquitatem: de quo dicitur, quod duo boves ita affvefacti sine ductore omnes lapides è lithotomiis ad locum usq; structuræ advexerint, ita ut in viam saltem ducti sua sponte vel onusti cum vehiculo ad Basilicam venerint, vel deposita sarcina ad reditum versi iterum ad lapidicinas redierint. Catalogus ejus loci Abbatissarum, etsi aliquibus locis mancus, tamen talis ab ipsa Domina Abbatissa (quæ nunc rerum hujus loci potitur) collectus, mihi, ut huic operi infereretur, transmissus est: in quo paucissimis immutatis cætera omnia ab ipsa Domina gubernatrice in ordinem, quem vides, lector, posita & eleganter digesta sunt, quam insignem diligentiam utinam hoc tempore imitarentur omnium coenobiorum & Episcopatum gubernatores, & essemus in brevi habituri uberem descriptionem rerum Germanicarum omnium. Sed veniamus ad catalogum.

Boves
sponte la-
pides, ad
templum
Bergense
advebunt.
Diligens
Abbatiss-

Catalog.
Abbatiss-

1. *D. Wilitrudis*, Regina Lotharingæ & Ducissa Bavarie illustrissima, fundatrix liberalissima hujus coenobii sui ad S. Crucem dicti, prima etiam ac fidelissima extitit ejusdem gubernatrix. Cœpit præesse anno, quo construere cœpit domum Dei: sed quam diu præfuerit, & quo anno rebus humanis exemta sit, id intercidit & ex hominum memoria in oblivionem venit. Obiit tamen in die trium Regum.
2. *D. Cbriembeidis* obiit 16. Martii.
3. *D. Berthildis* Abbatissa obiit 18. Octobritum. Sub his duabus gubernatricibus maxime legitur floruisse Bergense hoc S. Crucis coenobium.
4. *D. Richinza* obiit tertia Junii.
5. *D. Heilca* obiit 27. Januarii.
6. *D. Anna à Schwumedach* obiit 30. Aprilis.
7. *D. Rilindis* eligitur in Abbatissam aliquot lustris post annum Domini 1095. quo nimirum anno denuo consecrata legitur Basilica Bergensis coenobii. Legitur vero hæc pie & sanctæ præfuisse, sed quam diu, id in fastos relatum non est. Fuit virtutibus & lite-

Chronologia
Abbatissarum
Bergense
coenobii

S. Otilia
monaste-
rium Al-
titonenſe.

Abbatiffa
verſifica-
trix.

& literis ornatiffima herois, latine eximie docta, pudicitiae au-
tem probitatisq; laude tanta, ut Imperator Fridericus Barbaroffa
eam ex hoc Bergensi cœnobio ad Altitonense D. Otiliæ monaste-
rium (cujus Vestales luxu ac opibus lasciviebant) reformandum
ac in meliorem viam reducendum ablegaret: ubi ipsa, expulsis la-
scivientibus feminis, in pauculorum annorum spacio 33. velatas
virgines congregans, ita in literis latinis ac pietate Christiana eas
instituit, ut omni viciniae admirationi essent. Extant vero ejus
Rilindis Abbatiffae & reformatricis Altitonensis poemata qua-
dam, quae huic loco inferenda censui.

Dominae Rilindis ad sorores Hohemburgenses, in persona
Christi, Tetrastichon hexametrum & eruditissimum:

*Vos, quos includit, frangit, gravat, attrahit, urit
Hic carcer mœstus, labor, exilium, dolor, æstus,
Me lucem, requiem, patriam, medicamen & umbram
Querite, sperate, scitote, tenete, vocate.*

Ejusdem Rilindis Pentastichon carmen, per monosyllaba
ingeniose lusum, ad congregationem sororum Altitonensium:

*O pie grex, cui caelica lex, est nulla doli fex:
Ipse Sion mons, ad patriam pons, atq; bonifons,
Qui via, qui lux, hic tibi sit dux, alma tegat crux:
Qui placidus ros, qui stabilis dos, virginis stros,
Ille regat te, commiserans me, semper ubique.*

Hæc insignis Abbatiffa, à Bergensi conventus sui gubernatione
avocata, dum abest & Altitonam reformat, ubi ex hac mortali
vita procul dubio ad immortalem & æternam concessit 22.
Augusti, perit interim incendio cœnobium Bergense, quod ali-
quandiu quasi desolatum sine gubernatrice fuit. Etsi enim mo-
nialium aliqua pars in Bergensi cœnobio mansisset, tamen major
pars Heersbruggum concesserat, ita ut duplex esset conventus, &
tamien uterq; sine inspectrice. Ibi misertus tantae foundationis
Eberhardus, Episcopus Bambergensis, inclytus Bavariae Dux,
pro reformatione hujus etiam cœnobii apud Godefridum, Ab-
batem Agmondensem, supremum visitatorem, iterum laboravit
ac

ac ex eo ipso utriusque sexus amplissimo collegio septem honestas virgines cum magistra ac gubernatrice adducens, cœnobium hoc de novo quasi auspiciatus est, quod factum legitur anno 1156.

8. *D. Regelindis*, ex Agmondensi cœnobio missa, Bergenfi monasterio præficitur anno Domini 1156. Præfuit laudabiliter & utiliter annis 13. Recepit anno Domini 1163. cum consensu Friderici Imperatoris in Advocatum cœnobii sui strenuum ac magnæ providentiæ virum, *D. Sicolinum*, Pincernam de Reichenegk, in alti Saxi arce sedentem. Obiit tandem 4. Aprilis anno Domini 1169.

9. *D. Bertrada* successit Regelindi rebus humanis exemptæ. Præfuit sapienter & prudenter 12. annis. Obiit 26. Aprilis anno 1181.

10. *D. Adelheidis* subrogatur Bertradæ defunctæ, sed ex qua familia ista edita fuerit, aut quamdiu congregationi huic laudabili præfuerit, nusquam invenitur. Quemadmodum etiam de successoribus ejus aliquot nihil profus annotatum reperitur.

11. *D. Hildeburgis* obiit 20. Februarii.

12. *D. Chunigundis* obiit 7. Martii.

13. *D. Margareta* obiit 8. Martii.

14. *D. Khunigundis* secunda obiit 23. Octobrium. Credibile est, plures Abbatissas hic præfuisse ad tempora ejus usque Abbatissæ, quæ nunc sequitur: sed tamen illarum nomina vetustate consumta perierunt & ad notitiam nostri seculi non pervenerunt.

15. *D. Adelheidis*, ex nobili Pincernarum de Arberch gente & familia prognata, eligitur in Abbatissam anno Domini 1340. Præfuit summa diligentia, prudentia & laude annis 46. quibus multa per vim abstracta & abalienata bona cœnobio feliciter recuperavit. Obiit senio confecta 16. Novembrium anni à nato Christo 1386.

16. *D. Margareta*, nobilis herois à Mur, successit Dominæ Adelheidi. Præfuit per biennium saltem & naturæ debitum exolvit 30. Martii anno 1388.

Yy

17. *D. An-*

17. *D. Anna* de Galinsheim eligitur anno, quo *Margareta* rebus humanis exempta est. Præfuit summa cum laude annis 42. Emit decimas in Lati fontis pago, inclusit muro majorem cœnobii partem, fecit scribi *Cantionalia*: ac, nisi morte præventa fuisset, omnibus modis totum monasterium etiam reformasset, cujus summe tenebatur studio. Obiit 30. Februarii, anno Incarnationis Dominicæ 1430.

18. *D. Elisabeta Steurerin*, Ratisbonensis, subrogatur defunctæ *D. Annæ*. Præfuit annis 28. Obiit 23. Februarii anno Gratiæ 1458. quo reformatum est cœnobium juxta regulam Divi Benedicti.

19. *D. Barbara Eckberina*, ex Vindelicorum Augusta missa ad reformandum cœnobium Bergense, laudabiliter ibi præfuit 14. annis, & viam universæ carnis ambulavit quarta Novembrii anni à nato Christo 1472.

20. *D. Margareta* Præposita successit *D. Barbaræ*, electa in festo *S. Martini*. Hæc, cum verbo & exemplis sapienter & pie præfuisset annis 26. clausit extremum diem in ipsis Kalendis Februarii, anni Christianorum 1498. inguinaria peste consumpta.

21. *D. Euphemia*, nobilis virago de Mur, eligitur 14. Februarii anno Domini 1498. Præfuit fideliter annis 23. mensibus quinque. Obiit 15. Julii anno Christi 1521.

Sabina Pirckheimerin. 22. *D. Sabina Pirckheimerina*, ex Noribergensibus Patriiis nata, doctissimi prudentissimiq; viri Bilibaldi soror venerabilis & religiosa, eligitur in Abbatissam Bergensem 29. Julii post mortuam Dominam Euphemiam. Confirmatur septima Augusti, consecratur à Domino Fabiano, Episcopo Philadelphico, Reverendissimi Antistitis Gabrielis Episcopi Aisterensis generali, in Pontificalibus Vicario, undecima Maii sequentis anni. Obiit apoplexia 22. Decembrium, horam circiter septimam pomeridianam, anno Christi 1529. ætatis vero suæ 49. cum sapientissime & utilissime præfuisset annis penè novem.

Euphemia Pirckheimerina. 23. *D. Euphemia Pirckheimerina*, & ipsa Bilibaldi soror, successit forori ex hac mortali vita sublatae, electa tertia Januarii anno Domini 1530. Ejusdemq; mensis 19. confirmata, tandem

21. Au-

27. Augusti per D. Antonium, Episcopum Philadelphiensem, suffraganeum Aistetensem consecrata. Præfuit laudabiliter & utilissime 16. annis. Multa aduersa fortiter ac magnanimiter tulit prudentissima femina, ac evicit etiam ut magnanima & infracto animo prædita Domina. Primum enim anno Domini 1544. à coenobio suo secedere coacta fuit, propterea quod mutata religione, per Principem Othonem Henricum, Palatinum Rheni, contra hanc, ut Pontificiarum doctrinarum sectatricem, alia constitueretur coenobii administratrix, Margareta quædam à Mur, exauthorata Pirckheimeriana. Cum vero novæ administratrici præter paucas sanguinis ei propinquitates conjunctas nemo obtemperare aut eam Abbatissam agnoscere vellet, secessit D. Euphemia cum virginibus 25. ad Mariani lapidis vicinum Aichstadio coenobium, ubi alita est tota ista congregatio per integrum ferè annum à Reverendissimo Principe, Mauricio Hutteno, Episcopo Aistetensi dignissimo, donec postea in multas partes divisus conventus varia hinc inde diverticula quæreret. Pars enim in Summuntoriano, pars in Belli agri, & item alia in Holtzensi, ac S. Walburgis Aistetensi latebant monasterio: ipsa vero Abbatissa cum paucis sororibus Rainum (quod Bavarie oppidum est ad Lycum situm) concesserat. Interim coepit bellum Germanicum año Domini 1546. ubi, dum Schmalcaldenses confederati, direptis prius Bergensi ac aliis vicinis coenobiis, Rainense oppugnans oppidum, Abbatissa Noribergam ad suam sortem concedens illic exitum belli expectat. Sequenti anno, cum victoria penes Cæsarem Carolum esset, qui totam Palatini Principis ditionem ad Danubium sitam occuparat ac Dn. Georgio Zorenio Bulacensi administrandam mandarât, administratrix illa coenobii, à Palatino prius constituta, videns se minorem & inferiorem esse, quàm ut sua prudentia restauraret collapsas coenobii res, precibus institit Domino Mauricio Episcopo Aistetensi, quo Abbatissam veram Noribergæ apud suos latitantem revocaret. Quod cum ita factum esset, reducta est Domina Euphemia ab ipso prædicto Domino Episcopo ac Vicetenente Imperatorio in suum coenobium, quod ipsa præclare equidem restituis-

Yy 2

set

*Cenob.
Mariani
lapidis.*

*Summuntorianum
monast.*

*Bellum
Germanicum.*

set omni pristinae dignitati, nisi morte præventa & impedita fuisset. Decubuit graviter per integrum mensem, incomparabili & omnibus spectatoribus admirabili patientia gravissimos morbi dolores perferens: tandem æterno Deo ipsiusq; Filio sese commendans 15. Novembrium anni à nato Christo 1547. suaviter in Domino obdormivit. Ejus, charissimæ amitæ meæ, tumulura tali ego epitaphio honoravi:

*Hic Euphemia, Pirckenomar e gloria gentis,
O dilecta tibi, mi Bilibalde, soror,
Abbatissa domus Bergensis non modo fida,
Verum illustratrix ingeniosa cubo,
Corpore sed tantum: nam mens concredivit Christo
Ipsius in gremio vivit & Astra tenet.*

24. *D. Catharina Haberreimin*, è Berchingo oppido Aisteten-
sis Episcopatus nata (quæ hunc totum catalogum conscripsit &
mihi benigniter communicavit) successit Dominae Euphemie,
fexta Decembrium anni 1547. electa, 20. vero ejusdem mensis
confirmata. Sequentis autem anni quarta Aprilium à Reve-
rendissimi Episcopi Aisteten-
sis suffraganeo, Leonhardo Hallero,
Episcopo Philadelphico, consecrata, quæ hoc adhuc currente
Jubilæo feliciter præsidet.

PETRI DOMUS vel Petershusum, cœnobium Benedictini
instituti monachorum amplissimum, è regione Constantien-
sis urbis in Suevis cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet
Rheni è Lacu Acronio prodeuntis situm, fundatum & dotatum
est munificentissime anno Christi 980. pro monachis è cella Men-
radi accitis, à S. Gebhardo, Episcopo Constantiensi, Comite Bri-
gantino & Zæringensi, qui templum hujus cœnobii incepit con-
struere año 983. positis ad quatuor templi angulos in fundamen-
ta quatuor aureis Rhenensibus. Absolutum est templum illud &
ab ipso fundatore Episcopo Beato Gregorio Papæ dedicatum &
consecratum anno Dñi 992. quinta Kalend. Novembr. In quo
idem ille D. Gebhardus fundator tandem, cum viam universæ
carnis ambulasset, anno Dñi 996. humatus ac terræ parenti cum
tali epitaphio redditus est: *Debita*